



## **Antiquae Lectionis Tomus ...**

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

**Canisius, Heinrich**

**Ingolstadii, 1602**

IX. Qvomodo Per Matronam multiplicatus sit numerus credentium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

de liberis vestris ad clericatum tradatis, liberalibus studijs prius diligenter instructos, vt ipsi per vos, sicut alia gentes, de lingua vestra, latinitalis cōscios possitis habere Clericos & sacerdotes. Ista ergò septem sacramenta, quæ iterum vestri causa enumerare libet, & baptisum, confirmationem, infirmorum vnctionem, Eucharistiam, lapsorum reconciliationem, coniugium, & Ordines, per nos humiles suos paronymphos sponus cœlestis in arram verè dilectionis vobis, Ecclesiæ ac sponæ suæ transmittere dignatus est. Quapropter omni honore ac reuerentia eadem sacramenta seruate diligēter, & veneramini; docete ea filios vestros, vt memoriter teneant, & diligenter obseruent in omnes generationes. Ecce habetis Ecclesiam, habetis sacerdotem de his omnibus, & quæcunq; sunt necessaria vobis, abundantius vos instruere scientem. Ipsum ergò sicut me audietis, honorantes & amantes eum, & quæcunq; vobis dixerit facientes. Et nunc ego vado, iterum citò reuersurus ad vos. Valete in domino dilectissimi.

*QVOMODO PER MATRONAM multiplicatus sit numerus credentium.*

IX.



OSTQVAM confirmata & instructa est Ecclesia in PYRISSA, VBERRIME, CACERMATI, populoq; primitiuo eorum, caro affectu, vac facientes, legatis eos deducentibus, ad ciuitatem ducis CAMINAM deuenimus. Erat autem illic ducissa vxor videlicet ducis legitima, & licet inter paganos, Christianæ tamen religionis memor, de eorum aduentu lætissima efficitur, & cum omni domo sua tanto eos deuotif-

notissimè suscepit, quanto & hoc marito placere suæq; illius saluti profuturum non dubitauit. *Eis enim PYRISÆ* demorantibus, omnia quæ illic gerebantur, immisis clam exploratoribus diligenter edidicit, magnoq; tripudio cordis de illuminatione illius plebis exultans, ipsam quoq; suæ fidei scintillam, quasi sub mortuis cineribus eatenus consopitar., inter suos familiares modestè primò; deinde fiducialius apud omnes quos potuit ventilare cœpit. Et quia scriptum est: De scintilla confurgit ignis, totam illam ciuitatem, etiam ante eorum introitum, tantus ardor fidei, operante domino per matronam, inuaserat, vt non solum nil contradictionis, verum etiam totius populi consensum, de suscipiendo Baptismo, inuenerint, in multa gaudij plenitudine.

*Ezech. 14*

*QUANTVM BAPTIZANDO laborauerint.*



**Q**VADRAGINTA ergò fermè diebus in eodè loco manentes, tam ipse pontifex, quam alij eius cooperatores, sacerdotes, & Clerici, id pene solum operis habuerunt; suscipere venientes ad fidem, ducere, catechizare, prædicare & baptizare: videbanturq; in tam copiosa messe, pauci messores. Nam & ipsius loci atq; circûiacentis prouinciæ populus cateruatim accedebat cottidie ac recedebat; quibus omnibus dū satis fieri oporteret, immenso labore, maximè qui fuit in baptizando, *Episcopum* (licet solos mares, pueros tingere) sæpenumero sudantem aspexerunt; adeo profecto, vt alba eius ab humeris vsq; ad umbilicum antè & retro sudore manaret. Sæpe etiam ipsius ministerij nimietate lal-

X.

Ccc 3

fatus,